



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Speculum Approbandorum Bipartitum**

**Unczovsky, Marianus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1693**

Quæstio V. De Prudentia quoad formandum discrimen inter peccata  
mortalia & venialia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37308**

*Sac.* Sentio me obligari aperire veritatem, esto scirem Pœnitentem monitis ac dictis meis nō obtemperaturū, non enim ignoro per remorsum ortum in Conscientia ex dubio, an quod egit, vel agere intendit sit peccatum? bonam fidem excludi.

**QUÆSTIO V.**

*De Prudentia quoad formandum discrimen inter peccata mortalia, & venialia.*

*Vicar.* **Q**uomodo intelligendus ille textus Apostoli: *si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est?*

*Sac.* Intelligi debet de venialibus peccatis, quemadmodum & ille alius: *septies in die cadit iustus.*

*Vicar.* Sed quæ radix vel causa impellens hominem ad tam frequentem casum in veniale, & non rarum in mortale?

*Sac.*



Sac. Multiplex.

Vicar. Dicatur.

Sac. Primam reor esse ipsam instabilitatem humanam, & tepiditatem in bene operando, & quia edoceor à Moralitatis Magistro: *peccatum, quod penitentia non diluit, ipso suo pondere mori ad aliud trahere*, idcirco concludo alteram esse causam negligentiam peccandi, nec ignoro, quod hostis generis humani tanquam leo rugiens circumcivit quærens quem devoret, propterea per continuam tentationem & impulsum hominem tanquam arborem à multis tractam contingit cadere; accedit incauta custodia sensuum &c.

Vicar. Satis est: audire volo, an verum sit, quævis peccata naturâ suâ, sive ex genere suo esse mortalia, & solâ DEI misericordiâ venialia?

Sac. Hoc est, quod dixit impius Lutherus, damnatus quoad hanc iniquam doctrinam à Leone X. qui non ponderavit debitè Scripturæ textus ad Galat.



lat. 5. *Matth.* 5. 12. & 23. item *Luc.* 6.  
ex quibus manifestè patet dari peccata ex suo genere mortalia & venialia, eorumq; ad invicem ex natura sua distinctionem: & quis Prudentum non advertet magnum discrimen inter verbum aliquod otiosum, & blasphemiam contra DEUM; igitur imprudenter negatur suppositâ lege Divinâ peccatorum divisio ex genere suo in mortalia & venialia.

*Vicar.* Attende! *anima que peccaverit, ipsa morietur*, omne ergo peccatum mortale?

*Sac.* Scio Prophetam loqui de anima mortaliter peccante, non verò venialiter.

*Vicar.* Gratis sic distinxisti.

*Sac.* Minimè, fundamentum habeo ex textu ibidem loquente (*Ezech.* 18. de idololatria, adulterio, furto, rapina, testimonio falso, quæ omnia ex genere suo sunt mortalia.

*Vicar.* Nunquid transgrediens præcep-



ceptum de diligendo DEO ex toto corde, arguendus est peccati mortalis detur autem, quod minimum committens peccatum illi non satisfaciatur, nullum datur peccatum veniale natura sua distinctum à mortali?

*Sac.* Considero illud, ad quod lex obligat, & adverte me sic obligatum diligere DEUM ex toto corde, id est super omnia alia appetitativè, nisi DEI amori anteposendo, vel adæquando, huic autem satisfacere possumus tiam leve committens peccatum.

*Vicar.* Amor DEI ex toto corde animi tuum sic, petit occupatum, & semper sit de DEO cogitatio, ejusque dilectio, nihilque obrepit, quod non solum contra, sed præter DEI, & proximi charitatem.

*Sac.* Hoc non capio viator, cum ejusmodi dilectio videatur propria Beatorum; non ad posterius, sed prius expressam obligor, ideoque per minimum peccatum simpliciter & absolute, præcep-



ceptum de diligendo DEO non trans-  
gredior.

*Vicar.* Per minimum tamen peccatum  
ponis malitiam infinitam, ideòq; sem-  
per mortaliter peccas?

*Sac.* Peccatum veniale non avertit me  
à summo, & infinito Bono, non ergo  
trahendum ad malitiam infinitam,  
quam ponit delictum illud, quod fa-  
cit, ut homo relicto DEO, qui verè  
est infinitus, in rem creatam, velut in  
suum finem ultimum convertatur, af-  
fectivè ipsum DEUM destruendo, ut  
elegantè docet *D. Chrysof.* Homil. 4.  
*in Matth.* homo malus, quantum ad  
voluntatem suam, *manus mittit in DE-  
UM, & DEUM occidere tentat.*

*Vicar.* An ignoras, nè quidem vel mi-  
nimum peccatum veniale committi de-  
bere, ad Bonum etiam infinitum adi-  
piscendum, ex quo videtur inferenda  
in tali delicto malitia infinita?

*Sac.* Assentior non debere committi,  
sed non ex causa hac, quia ipsum sit

ma-



ualum infinitum, sed quia est malitudo  
& offensa DEI adeòq; non eligibile  
medium ad ullum bonum consequen-  
dum.

*Vicar.* Peto; num peccatum veniale  
aliquam habeat latitudinem?

*Sac.* Habet: aliud enim est veniale  
genere suo & objecto, videlicet veniale  
sans circa materiam levis offensa, ut  
*verbum otiosum, immoderatus risus &c.*  
aliud ex parvitate materiae ut *parvum*  
*furtum*, aliud tandem ex imperfectio-  
ne actûs, id est: ex defectu vel plene  
advertentia, vel plenae deliberationis,  
ut sunt subiti motus indeliberati in  
*vidia, odij &c.*

*Vicar.* Proponatur jam expectata dif-  
ferentia peccati mortalis actualis à  
veniali.

*Sac.* Hæc differentia relucet vel in eo,  
quòd mortale sit deordinatio ab ulti-  
mo fine, veniale verò sit deordinatio  
ab ijs, quæ sunt ad finem, id est: à me-  
dijs; vel quod mortale sit privatio rec-  
titu-



itudinis debitæ in esse actui, & necessariæ, ad DEUM beatificè consequendum, veniale verò actuale licet sit privatio rectitudinis etiam debitæ in esse, non tamen necessariæ, sed solummodo utilis ad consequendum finem ultimum: vel quòd mortale sit gravis DEI offensa mortem afferens animæ, privando eam Divinâ gratiâ, cum obligatione ad pœnam æternam, veniale verò sit offensa DEI levis, ob suam parvitatem animam gratiâ non privans, nec ipsam ad pœnam æternam, sed solum temporalem purgatorij obligans; vel denique quòd peccatum mortale sit *contra* legem, veniale autem *prater* legem.

*Vicar.* Quid hoc? an putas actus indifferentes, qui sunt *prater* legem, dicendos esse peccata?

*Sac.* Nequaquam; quando cum quibusdam dico peccata venialia esse *prater* legem, id non intelligo merè *negativè*, sed aliquo modo *privativè*, id est:

CXXX



cum aliqua oppositione saltē imp  
fecta.

Vicar. Obscura hęc responsio.

Sac. Claritatem adfero Doctoris Ang  
lici: *furtum* e. g. *obuli* ex parvitate m  
teria, non prohibetur simpliciter  
perfectē à lege de non furando, ideo  
nec dici potest esse perfectē, ac sim  
pliciter *contra* illam, sed tantum  
cundum quid, quod ad distinctione  
peccati mortalis dico esse *preter* legem  
propterea apposui: cum aliqua oppo  
sitione saltē imperfecta.

Vicar. Nunquid peccatum *dictum*, vel  
*factum*, vel *concupitum* contra legem

Sac. Etiam veniale *contra* legem, sum  
ptā lege amplē, pro ea, quæ imperfec  
tē obligat, & consideratā pariter im  
perfectā transgressione legis: patens  
quippe est, præcepta esse *non otiosè* lo  
*quendi*, *non furandi* etiam in parva  
quantitate, & in universum ratio  
lumen dicit, non esse peccandum ve  
nialiter.

Vica  
fuo,  
Sac.  
par  
rati  
qua  
qua  
cati  
daci  
casu  
trin  
rò,  
verfi  
nial.  
Vica  
talia  
vita  
Sac.  
um,  
etia  
leth  
Vica  
parv  
Sac.

Vi.



*Vicar.* Estnè verum mortale ex genere suo, posse fieri veniale, & è contrà?

*Sac.* Verum est per accidens; vel ob parvitatem materiæ, vel ob indeliberationem, seu ex circumstantia aliqua; imò idem numero actus potest quandoq; simul habere malitiam peccati mortalis & venialis, ut dicere mendacium leve ex fine adulterandi, quo casu actus peccaminosus per se, & intrinsecè erit venialis, per accidens verò, & extrinsecè mortalis, salvâ diversitate specificâ peccati lethalis à veniali.

*Vicar.* Danturnè aliqua peccata mortalia in quibus locum non habet parvitas materiæ?

*Sac.* Dantur: e. g. *blasphemia, perjurium, peccatum luxuria* &c. in quorum etiam minima parte reperitur peccati lethalis deformitas.

*Vicar.* Proferantur modi dignoscendi parvitatem materiæ.

*Sac.* Hi modi vel respiciunt finem, qui par-



parvi est momenti, aut quia ipsa voluntaria præcisè in se considerata appetitio, ut v. g. obulus furto ablatus, juxta supra dicta respiciunt etiam deliberationem agentis.

*Vicar.* Desidero te audire, an istam deliberationem intelligas?

*Sac.* Sic eam fieri intelligo, quando intellectus non habet nisi tenuem & imperfectam considerationem, & advertentiam malitiæ moralis actionis vel non habet nisi parvum & obscurem dubium, quod voluntati non præsentat, nisi confusè circumstantias malæ actionis, tunc ob defectum citius expressæ & integræ cognitionis necessariò requisitæ ad excitandum liberum consensum, censetur esse indeliberatio, quandoquidè voluntas cum ejusmodi imperfecta advertentia nequeat perfectè consentire, suppono enim consensum sequi cognitionem, hæc autem esset imperfecta, igitur indeliberatio causata ob imperfectum



voluntatis consensum: quomodo autem cognosci valeat hæc indeliberatio, exemplificant Theologi de homine ita imperfectè advertente aliquod esse malum, sicuti *semiebrivus*, aut *semisopitus*, pro quo vide. *Vasq. 1. 2. D. 107. c. 4. n. 11.*

V. Ex responsione à te supra data intelligo veniale ex genere suo per accidens fieri mortale, quæro, an plures modi sint assignabiles, quibus id contingere valeat?

S. Specialiter assignari possunt sex: *primus* contingit *ratione affectus mortalis*, quando committens alioquin de se veniale ita est dispositus, ut si foret mortale, æquè liberè illud committeret: e. g. si quispiam intrà furtum obuli conjungeret actualem dispositionem, & animum furandi eundem, si esset aureus. *Secundus ratione finis mortalis*, propter quem actio committitur, ut si juxta supra dicta quis diceret mendacium leve, in finem adulterandi, vel

¶ pu-



puellam seducendi. *Tertius ratione ruculi mortalis*, cui se homo exponit efficiendo actionem venialem.

*V.* Igitur dicere mendacium leve & periculo committendi perjurium peccatum mortale.

*S.* Omnino.

*V.* Proferantur alij modi.

*S.* *Quartus* modus contingit *ratione* *cialis contemptus & inobedientia*, dum quis mandatis Superioris parere recusat, hoc enim est contemnere Deum qui ipsi superioritatem concessit. *Quintus* accidit *ratione scandali*, propter quod actio ex sua natura venialis potest fieri mortalis, cum enim scandalum invehat ruinam animarum, tenetur quis ex motivo charitatis illud vitare, & abstinere etiam a peccato veniali, quod est ipsius causa. *Sextus* demum contingit *ratione conscientie erronee*, dum quis faciendo actionem venialem, erroneè & falsò credit esse mortalem, nam in ista erronea & falsò



sa credulitate voluntas eodem modo  
se habet, ac si re ipsa peccatum foret  
mortale, propterea adverte in instruc-  
tione illorum, qui nesciunt quid sig-  
nificet hoc vocabulum mortale, exem-  
plificandum esse de delicto per quod  
perditur amicitia DEI, vel per quod  
quis putat, aut dubitat ejusmodi ami-  
citiam perdi, cum clara advertentia  
mali, de quo dubitatur.

U. Et sic obligabitur Pœnitens dicere  
numerum illorum delictorum, de qui-  
bus dubitavit an sint mortalia?

S. Sic sentio, ac Pœnitentem cum tali  
dubietate me accedentem obligabo.

U. Etiamnè sic procedes cum eo, qui  
fatebitur se quidem clarè advertisse ac-  
tionem suam esse simpliciter malam,  
non tamen disquisivisse, vel cogitasse,  
an esset malum mortale, aut veniale?

S. Etiam ad numerum dicendum ad-  
stringam sic operantem, qui arguen-  
dus erit peccati mortalis, propter pe-  
riculum, in quod se conjecit, quia vi-



delicet se periculo peccati mortali  
exposuit.

*U.* Maneat tanquam verum, ad hoc  
quis peccet mortaliter requiri ad-  
vertentiam malitiae, quæro nihilominus  
an sit reperibile aliquod genus peccato-  
rum, in quo possit aliquis peccare  
mortaliter, etiamsi non advertat in-  
licitiam?

*S.* Videtur quod sit: lego enim, quod  
si quispiam habeat in mala consuetu-  
dine e. g. peccatum *blasphemia*, & non  
adhibeat diligentiam, ut illam tollat,  
talis non tantum peccat mortaliter  
quando advertenter blasphematur, sed  
etiam peccat mortaliter, quando blas-  
phemat sine advertentia. *Sanch.*

*U.* Quid si autem adhibeat diligentiam;  
am; ut tollat dictam malam consuetu-  
dinem?

*S.* Peccabit mortaliter tantum, quan-  
do advertenter blasphemabit; dum igitur  
tur video in Penitente talem malam  
consuetudinem esse, interrogabo il-  
lum



um, an conatus fuerit eam extirpare vel non, ut inde sciam judicare, quando, vel quoties mortaliter peccaverit.

*Q.* Unde autem advertetur adesse consuetudinem alicujus peccati?

*S.* Ex frequentia peccati confessi.

*Q.* Quid resolvendum circa Pœnitentem dubitantem, utrum in actione sua habuerit plenam advertentiam, requisitam ad peccatum mortale?

*S.* Judico faciendam interpretationem in favorem Pœnitentis, sic, quod non habuerit, nec perfectum consensum præbuerit, ideoq; nec lethaliter peccaverit, qualem consensum imperfectum observabo etiam circa Pœnitentes timorata conscientia, anxios, num peccato perfecte consenserint, propter dubium de plena advertentia: idem mihi videbitur quoad illum, quem ita interius dispositum fuisse agnoscam, ut cum advertentia peccati nollet, etiam oblatâ occasione, ullatenus illud committere, habendo in corde suo ra-



dicatum affectum ad malle millies  
 ri, quàm DEUM offendere, ejusmo  
 enim interior dispositio, quâ abom  
 natur peccatum, magnum est ind  
 um illud voluntati non placuisse,  
 cōsequenter ostendit perfectum co  
 sensum non intervenisse. *Vide Direc  
 Confess. Barthol. Tract. 2. c. 6. p. 104.*

*V.* Ostensum est quomodo veniale e  
 genere suo, per accidens fieri poss  
 mortale, nunc autem quæro, an et  
 am plura venialia unum valeant inte  
 rare mortale.

*§* Non valent, venialia enim quantum  
 cunq; multiplicata semper censentur  
 venialia, sic autem est, quod veniale  
 quâ veniale præcisè sumptum, sit im  
 proportionabile cum mortali, idcirco  
 in illud quantumcunq; multiplicatum  
 degenerare nequit; neq; sola multipli  
 citas entium alicujus generis facit, ut  
 propterea degenerent in aliud genus,  
 atqui venialia Theologica sunt diversi  
 generis à mortali Theologico, *ergo &c.*

*V. Con-*



V. Contrarium videtur docere M.S.P. Augustinus dum Tract. 1. in Epist. Joan. dicit: *multa peccata levia facere unum grande.*

S. Hoc utiq; accidere potest, si venialia sint conjuncta cum *contemptu, scandalo*, aut *proximo periculo cadendi in mortale*, non verò si his seclusis præcisè spectetur: vel faciunt venialia mortale occasionaliter, in quantum saepe præbent occasionem cadendi in grande peccatum, non tamen ipsamet venialia præcisè multiplicata evadunt in mortale.

V. Sæpius repetita sunt dispositio ad mortale, *ergo &c.*

S. Hæc dispositio saepe quoq; est solum remota, non habens periculum proximum peccandi mortaliter, & licet in aliquibus peccatorum generibus frequentia venialium adferat proximum periculum cadendi in mortale, in hoc tamē si quispiam ceciderit, non transferetur genus venialis peccati in mor-



tale, sed superaddetur pluribus v  
alibus aliquod mortale.

*V.* Adverte! plura furta parva pe  
niētia ad materiam gravem fiunt m  
tale peccatum, igitur & venialia m  
multiplicata.

*S.* Non sic, ut ultimum furtum sit m  
tale: ideò, quia ex illo & alijs præ  
cedentibus præcisè acceptis coale  
mortale, sed quia in ultimo furto p  
alia, ad tantam quantitatem rei fur  
sublata fur pertingit, quæ conjunct  
cum præcedentibus rebus furto sub  
tis, materiam valdè notabilem, & su  
ficientem ad terminandum actum fur  
ti mortalem constituit.

*V.* Coniungatur ergo etiam venial  
cum alijs, & degenerabit in mortale

*S.* Non currit paritas, non enim ulti  
mi venialis censetur moralis conjunc  
tio cum præcedentibus, uti censetur  
materia ultimi furti moraliter unita  
cum alijs materijs præcedentibus, fur  
to sublatis.

*V.* Quis



U. Quid autem requiritur ad hanc conjunctionem, aut continuationem moralem materiarum furti, ut inde juxta communem hominum estimationem censeatur ultimo resultare materia notabilis, & sufficiens ad terminandum furtum mortale?

S. Requiritur, ut, qui furatur, intendat per parva furta successivè acquirere sibi materiam notabilem, uti contingit in ijs, qui minus justo pondere vel minus justâ mensurâ, vendunt suas merces; unde non diceretur continuare moraliter, & unire levia furta ille, qui hodie v.g. parvam quantitatem furaretur, & post sex menses aliam parvam, & sic deinceps, nihil cogitando ad præcedentia furta, nec cum intentione ditescendi ex rebus alienis invitò rationabiliter Domino.

U. Ergo quando materia ultimi peccati non poterit moraliter continuari cum materia præcedentium peccatorum

Cf

rum



rum venialium, tunc ultimum peccatum veniale non erit mortale?  
 S. Non: hinc etsi millies v. g. mendacium jocosum repetatur, nunquam tamen simul cum precedentibus meritiariam peccati mortalis integrabit.  
 U. Quid si quispiam haberet affectum committendi omnia venialia, actus ille volēdi essetne mortalis, an venialis?  
 S. Omissis variorum opinionibus, dico quod talis actus, præcisè consideratus ex parte objecti & per se, sit tantum venialis, malitia enim actus intenditur solum ex objecto per se attenditur, objectum autem non excedit limites venialitatis, igitur ex hoc capitalis actus erit solum venialiter malus si autem talis actus consideretur per accidens, & ratione periculi, cui exponit volens omnia venialia committere, nempe cadendi in mortale, talis actus erit probabiliter mortalis.  
 U. Adhuc volo mihi assignari regulam ad discernendum, an aliquod peccatum sit mortale, vel veniale?

S. C  
 diff  
 do f  
 sa e  
 Di  
 opp  
 mo  
 put  
 nas  
 Di  
 gra  
 un  
 &  
 Scri  
 ne  
 si o  
 be  
 tis  
 pro  
 pri  
 tat  
 ill  
 sic  
 co



S. Quamvis hæc discretio sit multum  
difficilis, existimo nihilominus: quan-  
do secundum iudicium naturale offen-  
sa est magna, & injuria gravis contra  
DEUM, vel homines, cum notabili  
oppositione virtutis, & Scriptura ejus-  
modi peccato intentat graves pœnas,  
puta: *exclusionem à Regno Celorum pœ-  
nas inferni, mortem æternam, punitionem  
Divinam &c.* est peccatum mortale:  
gravitas enim offensæ & injuria innu-  
unt notabilem oppositionem virtutis,  
& magnitudo pœnæ propositæ per  
Scripturam, demonstrant magnitudi-  
nem delicti. *Reginald. l. 15. c. 5.* E cõtrà,  
si offensæ vel injuria sit levis, non ha-  
bens notabilem oppositionem virtu-  
tis, sive sit contra DEUM, sive contra  
proximum, & per consequens non  
privet gratiâ DEI, ratione suæ parvi-  
tatis, nec Sac. Scriptura ità rigorosè  
illam exageret, sed de illa loquatur,  
sicuti loquitur v. g. de *verbo otioso &c.*  
communiq; D.D. consensu reputetur



levis, est peccatum veniale, levis  
namq; injuriæ & pœnæ, denotant  
ve delictum, cum levi virtutis oppo-  
sitione Barthol. in Instruct. Confess.  
p. 106.

QUÆSTIO VI.

De Prudentia in Confessario requisita  
quoad observandas circumstan-  
tias peccatorum.

Vicar. Quid datur intelligi per  
circumstantiam peccati

Sac. Accidens, vel quædam conditio  
non pertinens ad substantiam actus  
sed aliquo modo comitans ipsum ac-  
tum, seu circumstans peccatum.

V. Nunquid observantur diversæ?

S. Ordinariè notantur sequentes, ve-  
licet: *impertinentes*, quæ nec minu-  
unt, nec augent peccatum, & per con-  
sequens in Confessione explicanda  
non sunt; *mutantes speciem*, quæ po-  
nunt malitiam specie distinctam à ma-  
litiâ actionis, quam comitantur; *no-*

tabil  
pecc  
dun  
U.  
stan  
S. C  
vel  
U.  
cien  
S. F  
tiam  
pro  
ria  
cie  
dta  
U.  
not  
S.  
nic  
U.  
S.  
cir  
en  
sec